quia causa nostræ sanctificationis est Christus, sanctitatem, & gratiam recipimus, etiamsi ministri, per quos confertur, mali sint: ita quia Adam esset Caput quoad justitiam transfundendam, eam si non peccasset, transfunderet, quamvis parentes proximi essent peccatores. Neque absurdum esset, quod peccatores generent justos, sicut neque absurdum est, quod modo parentes justi generent filios peccatores, & Christiani non Christianos; quia filii geniti justitiam non haberent ex eo, quod acciperent a parentibus proximis, sed ex eo, quod ab Adamo acciperent: & modo filii non sunt peccatores ex eo, quod a parentibus proximis, sed ex eo, quod habent ab Adam.

LIII. Sed dices.. S. Thomas *qu. 5. de Malo art. 4. ad 8.* videtur expresse oppositum docere. Ait enim: *Si ergo aliquis ex Posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit, sed Posteri ejus morerentur propter peccatum originale.*

Respondetur varie huic auctoritati. Bellarminus loco supra citato suspicatur, locum fuisse corruptum. Alii volunt, S. Thomam aliter sensisse in 1. 2. *qu. 81. art. 2.* dum ait: *Impossibile est, quod aliqua peccata proximorum parentum...: per originem traducantur.* Alii, ut Gonet dicunt S. Thom. loqui, non ex vi legis de facto a Deo statutæ constituentis solum Adam Caput morale totius posteritatis, sed ex vi alterius decreti, quo forte decrevisset, non peccante Adamo, constituere ejus filium caput morale.

LIV. Pro coronide quæri potest: An si Adam peccasset solum postquam genuerat Cain, aut aliquem alium, iste, vel ejus filii contraxissent peccatum originale?

Respondetur, probabiliorem esse partem negativam. Nam peccatum originale non contrahitur, nisi per propagationem ex primo Parente peccatore; sed iste non propagaretur ab Adam peccatore, cum esset propagatus ante ejus peccatum; ergo &c. Cui consonat dictum S. Augustini in Psal. 84. nu. 7. *Ea enim peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes, jam natis filiis. Jam enim nati filii ad se pertinent, & parentes ad se pertinent.* Ex quibus sic discurro: Filius jam natus justus, & innocens, justitiam amittere non potest, nisi propria voluntate: sed filii ex Adamo nati antequam peccaret, fuissent nati justi, & innocentes, nec ipso peccante, ejus peccato consentirent; ergo justitiam, in qua nati fuerant, non amitterent.

LV. Quid vero dicendum sit de horum filiis, majus dubium est. Videtur tamen quod nec illi contraxissent; quia non fuissent in lumbis Adæ tunc, quando ipse peccabat: ideoque dici non posset, peccasse in Adam. Soli autem illi peccatum originale contrahunt, qui fuerunt in Adam tunc, quando peccabat; hi enim solum dici possunt peccasse in illo. Nec tamen videntur nasciturі cum justitia originali; quia eorum parens proximus, esto illam haberet, eam tamen haberet, ut donum personale, non ut tori naturæ communicandum; quia non esset illius Caput, neque ullus alius esset, a quo posset derivari. Non haberent ergo peccatum, ex dictis, sed neque justitiam originalem; quia hæc eis non esset debita, nec a quo eam acciperent, adesset.

QUÆSTIO VIII.

De Peccato Originali quantum ad suam essentiam.

EXistentiam, & propagationem originalis peccati, quantum nobis licuit, explicavimus. Nunc ad ejus essentiam investigandam recto ordine progredimur cum Div. Thom. 1. 2. *qu. 82. qu. 4. de Malo art. 2.* & alibi. In qua eliminatis erroribus, quænam ex Catholicorum opinionibus eligenda a nobis videatur, exponemus.

DUBIUM I.

An Peccatum Originis sit ipsa substantia anima?

§. I.

Refertur error quidam, & refutatur.

I. ERrores, qui in statuenda essentia peccati originalis variis temporibus prodierunt, comprobant verum S. Augustini dictum *lib. 1. de Moribus Ecclesiæ Cathol. cap. 22.* ubi de antiquo peccato ait: *Quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.*

II. Aliqui ergo, referente Guillelmo Parisiensi lib. de Vitiis, & peccatis cap. 5. *Fuerunt dicentes, animam humanam naturaliter diligere corpus, & desiderare conjunctionem ipsius; & propterea, dum eidem conjungitur, cum gaudio amplecti corpus, arctiusque ei conjungi, quam deberet; & quia in origine sua, & nostra hoc facit, ut dicunt, humana anima, originale peccatum dicitur, quo peccat nimio isto gaudio, & amplexu, quam deceat, arctiori.* Hæc Guillelmus.

III. Quem errorem duobus modis evidenter destruo ex eodem. Primo. Quia in hac positione peccatum originale non est habituale, & propagatione contractum ab Adam, sed peccatum actuale; cum & desiderium illud, & gaudium, & amplexus actus sint. Unde in hac positione animæ nostræ actualiter peccant in nostri origine, seu in ipsa conjunctione ad corpora nostra: atqui hoc est evidenter falsum; ergo &c. Min. prob. Vel enim ponunt, animas fuisse ante conjunctionem ad corpora, ut Plato, Pythagoras, & Origenes; & hic est error contra Catholicam veritatem, quem superius refutavimus. Vel non ponunt eas fuisse ante conjunctionem hujusmodi: & ita cum in instanti suæ creationis jungantur corpori, in eo instanti, quo creantur, peccant. Quod autem in primo instanti non peccent, superius impossibile judicavimus de Angelis. Deinde, cum peccante anima conjuncta corpori peccemus nos, sequeretur, quod positi in uteris maternis, immo in ipsa nostra conceptione actu peccemus, multo magis jam nati, & fortius, dum adultæ ætati propinquamus: & sic, quod continuo actu peccemus, quia continuo anima nimium amat, & amplectitur corpus.

IV. Quod si dixerint, peccare nos quidem in puncto conceptionis, non autem prius; quia sapientiores, & capaciores boni, vel mali in puncto illo, & in uteris matrum, quam natos, quam in cunabulis, & quam usque ad quadriennium, immo in aliquibus quam usque ad septennium;

Contra. Ergo saltem, quando post septennium scimus de conjunctione animæ nostræ, ejusque dilectione erga corpus peccamus, Præterea, qua scientia in utero matris positi hoc sciunt parvuli, quod postea nati dediscunt? Non doctrina: quia anima ante conjunctionem cum corpore non supponitur aliquid per doctrinam didicisse, ne incidamus in errorem Platonis, & Pythagoræ. Non revelatione: nam hoc, quod ceu singulare legimus datum Joanni Baptistæ, quo fundamento omnibus datum asseritur, & non ad sanctificationem, sed ut illis sit occasio peccandi? Non naturali scientia: nam hæc quomodo potest esse in illis, qui nec intellectus, nec rationis usus adhuc capaces sunt?

V. Secundo. Quare animæ ad peccatum imputatur vel desiderium, vel amplexus corporis sui? Cur ei peccatum erit gaudere illo, propter quod est creata. An ne anima, ut sit in corpore, & ut in corpore sui complementum accipiat, creatur? Si peccatum non est animæ gaudere de dato sibi oculo, vel pede; cur peccatum illi erit, gaudere de toto, nempe corpore? Forte ei imputabitur, quia nimium. Sed cur ei non imputabitur gaudium, quod sentit, dum in cunabulis labia mammillis admovet, de quo certe plus gaudet? Forte imputabitur, quia cum sentiat corruptionem in carne, illam nihilominus diligit, & amplectitur? At hoc quomodo contigit in illa ætate, in ventre Matris, cum hoc provectis, & senibus vix apprehensibile, & suasibile sit? Sed in hac confutanda insania tempus non teramus.

§. II.

Error Illyrici refertur.

VI. MAtthias Flacius natione Illyricus Rigidorum Lutheranorum Corypheus, quod a Doctrina, & Scriptis Lutheri, quæ ut divina suscipiebat oracula, ne in vocula quidem, aut syllaba dissentiendum esse mordicus sustineret, propterea *Antiadiphorista* dictus, quia mollium Lutheranorum hostis implacabilis: celebrium quoque Centuriarum Magdeburgensium (quas, ut refelleret, annales suos adornavit Ecclesiasticos Cardinalis Baronius) præcipuus compilator, singularem errorem, quem plurimis scriptis pertinaciter propugnavit, hunc habuit, quod *Peccatum originis sit ipsa anima rationalis substantia.* Unde Lutherani, qui in ejus errorem iverunt *Substantialista* nuncupati sunt.

VII. Docuit ergo Illyricus in libello *de Peccato originis*, illud non esse accidens naturæ superadditum, sed ipsammet animæ rationalis substantiam, ipso Adani peccato substantialiter vitiatam, & ex imagine Dei, quam in creatione acceperat, in imaginem Diaboli transformatam. Hunc errorem ebibit Illyricus ex doctrina Magistri sui Lutheri qui *Tom. 6. in capus 3. Gen.* ad illa verba: *Tunc aperti sunt* (seu, ut ipse vertit, *aperiebant*) *oculi amborum*, postquam reprehendit Scholasticos asserentes, quod justitia originalis non fuerit connaturalis, seu de natura hominis, sed donum naturæ superadditum; & conatus fuit ostendere, justitiam fuisse ipsam naturam hominis, *ita ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum &c.* tandem pro inconvenienti adducit, quod si justitia non fuit de essentia hominis, nec peccatum erit de essentia hominis, *An non* (inquit) *sicut ponis, justitiam non fuisse de essentia hominis; ita etiam sequitur, peccatum, quod successit, non esse de essentia hominis?* Sentit ergo Lutheranus, peccatum originis esse de essentia, seu de substantia hominis.

VIII. Idem indicavit Tom. 3. in illa verba Psalmi 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c.* dicens: *Non enim* (David) *de operibus quibusdam, sed de materia simpliciter loquitur, & dicit; semen humanum, massa illa, ex qua formatus sum, tota est vitio, seu peccato corrupta. Materia ipsa est vitiata, intum illud, ut sic dicam, ex quo hoc vasculum fingi cœpit, damnabile est... ipsa conceptio, ipsa augmentatio factus in utero, antequam nascimur, & homines esse incipimus, est peccatum.*

Sane si tota massa corrupta est peccato, si conceptio &c. peccatum est, sequitur, quod peccatum sit hominis substantia; ut nihil in ea sit, nihil ab ea prodeat, quod peccatum non sit. Hæc adducere volui, ut ostenderem, quantum hallucinentur Lutherani quidam, dum ab hoc errore Luterum, immo & Illyricum ipsum purgare contendunt. Qui tamen, ut Bellarminus observat, *lib. 5. de Amiss. Grat. & statu pecc. cap. 1.* dum alios purgare conantur, ostendunt se eadem sorde inquinatos, Sed errorem, cujuscumque sit, refutemus.

§. III.

§. III.

Error Illyrici refutatur.

IX. DIco. Peccatum originale non est substantialis animæ corruptio. Probo primo. Nam hæc Illyrici positio destruit duos præcipuos ac fundamentales articulos fidei, quæ credit in unum Deum, & hunc omnium Creatorem. Destruit enim primum. Nam si quemadmodum homines modo sunt substantialiter injusti, ita Adam, & ejus Posteri (si in justitia mansissent) essent substantialiter, & natura justi, Adam, & homines ex eo prognati fuissent tot Dii; cum esse naturaliter justum, & substantialiter, & non ex accidenti dono, sit solius divinitatis character. —— etiam secundum. Facit enim Deum non esse Creatorem animarum hominum, sed Diabolum, quæ est hæresis Manichæa.

X. Nec satisfacit Illyricus dicens, substantiam animæ a Deo factam esse bonam, sed opera Diaboli factum postea fuisse malam. Nam quæstio non est de anima, ut primo facta fuit a Deo in Adamo, sed de anima opera Diaboli substantialiter transformata (ut ipse dicit) quis eam fecerit, & quotidie faciat? Si enim Diabolus; ergo Diabolus alicujus substantiæ est creator, & non omnium Deus. Si Deus, cum anima sit substantialiter peccatum, ut ait Illyricus; ergo Deus est Auctor peccati originalis.

XI. Confirmo hæc ex D. Thoma 1. 2. *qu. 79. art. 1. in arg. sed contra.* Si substantia animæ est peccatum, Deus illum odit: dicitur enim Sap. 14. ver. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*: sed quæ Deus facit, non odit, Sap. 11. ver. 25. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; ergo &c.

XII. Quia vero dicebat Illyricus, istam substantiam, quæ est anima, totam esse a Deo propagante, & conservante naturam, totam a Diabolo, qui eam vitiabat; nec Diabolum esse creatorem ullius substantiæ, sed creatæ transformatorem de bona in malam. Quemadmodum mulierculæ lac transformant in caseum, vel butyrum, sive vinum in acetum, quin creatrices substantiæ sint.

XIII. Contra est. Nam si Deus hanc naturam, quæ in substantia peccatum est, propagat, certe Deus Auctor erit peccati: quid enim aliud est propagare, & conservare peccatum, quam esse auctorem peccati? Ergo vel hæc natura a Diabolo est, non a Deo: vel si a Deo, jam Deus verus, ac bonus erit auctor mali, quod nec Marcion, nec Manichæus ausi sunt affirmare, ponentes idcirco duo principia, bonum, & malum. Immo sequeretur, non solum Deum, sed & parentes proximos causam esse peccati originalis; illum creando animam, quæ substantialiter est ipsum peccatum; istos vero hoc corpus generando; & utrumque naturam, quæ nedum vitiata, sed vitium est, propagando; ergo actus conjugii erit per se peccatum, quia causa peccati, & nuptiæ per se malæ, & damnandæ, qui erat Manichæorum error.

Præterea. Si Diabolus naturam, a Deo creatam bonam ab initio, ita depravavit, ut de bona facta sic substantialiter mala, & substantia bona perierit; ergo natura, quæ modo substantialiter mala producitur, est opus Diaboli, non Dei. Vel si Dei; ergo Deus facit opus Diaboli. —— Neque juvant allata exempla. Nam lac, vinum, & similia res corruptibiles, & transmutabiles sunt ab homine naturalibus causis: at anima, & res spirituales non sunt substantialiter mutabiles de una in aliam speciem, quia materia carent, sed solum possunt desinere in nihilum; ergo si anima bona a Deo creata, substantialiter facta est mala, non aliter fieri potuit, nisi quia anima substantialiter bona redacta in nihilum, facta sit a Diabolo alia anima substantialiter mala, utique ex nihilo. Deinde: Anima partes non habet, ut secundum unam manere possit, secundum aliam destrui, indivisibilis enim est; ergo si anima opera Diaboli de bona fuit substantialiter transformata inmalam, anima sic a Diabolo transformata, est diversa totaliter ab anima facta a Deo.

XIV. Probo secundo. Div. Paulus *Roman. 7. ver. 17.* ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, ver. 18. *Scio enim* (inquit) *quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum.* Et ver. 20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* In hoc loco, secundum doctrinam Lutheranorum, nomine *peccati* intelligit Paulus concupiscentiam, quam ipsi dicunt esse formaliter peccatum originale. Ex his ergo sic. Peccatum, quod Lutherani originale esse dicunt, non est secundum Apostolum ipse homo, sed in homine habitat, & non in mente, sed in carne ut condistincta a mente, & ut repugnante legi mentis (ut ait ibi *ver. 23.*) sed quod in aliquo habitat, non est illud, sed ab eo distinctum; ergo peccatum originis non est caro, multo minus mens, cum in mente nec habitet, sed in carne.

XV. Nec valeret si diceres, Apostolum de se hoc optime dicere potuisse; erat enim justificatus a peccato. —— Nam, ex communi Lutheranorum sententia, peccatum originis non ita remittitur in justificatione, ut amplius non sit, sed ut non amplius imputetur. Immo D. Paulus, qui jam justificatus erat, adhuc tamen dicit in carne sua habitare peccatum, quod de peccato originali Lutherani exponunt: cum ergo Paulus affirmet, se habere mentem bonam, Illyricum damnat, qui peccatum originis, non tam in mente, quam mentem ipsam esse peccatum somniat. Hinc

XVI. Tertio probo sic. Si peccatum originis est ipsa substantia animæ, vel homo essentialiter mutatur in Baptismo, & in Resurrectione gloriosa, vel sequetur peccatum originale nunquam eluit neque in Beatis, neque in Resurrectione gloriosa; & sic aliquid inquinatum introire in Regnum Dei, & fulsum dixisse Paulum Rom. 8. ver. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* Et S. Joann. Epist. 1. cap. 1. ver. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

XVII. Quarto probo. Non magis anima vitiatur peccato originali, quam quocumque peccato actuali mortali: sed peccata actualia mortalia animam substantialiter non vitiant, neque mutant, alias quoties homo peccaret mortaliter, substantialiter mutaretur, & esset substantialiter diversus a se, antequam peccaret; ergo &c.

XVIII. Hanc veritatem firmant SS. Patres. S. Basilius *Orat. quod Deus non sit Auctor malorum.* Nazianz. *Orat. in S. Baptisma.* S. Epiphanius *Heres. 37.* S. Ambrosius *lib. 2. Hexaemeron. cap. 8.* S. Hieronymus *Epist. ad Ctesiphontem* uno ore malum, seu peccatum non esse substantiam afferentes. Et S. August. passim, præsertim *lib. 7. Confess. cap. 12.* ubi ait, id, quod omni bono privatur, & prorsus malum est, nihil esse. Unde infert: *Ergo quamdiu sunt, bona sunt; ergo quæcumque sunt, bona sunt. Malumque illud, quod quærebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* In Psalm. 68. Serm. nu. 5. *Iniquitas* (inquit) *ipsa non est substantia, non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus, sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo.* Vitia naturarum substantias esse, ut errorem Manichæorum detestatur *lib. 1. Oper. imperf. contra Julian. cap. 66.* Ad intelligendum, originale peccatum discernendum esse inter naturam, & vitium; nec putandum naturam malum esse, neque vitium naturam esse, docet *lib. 2. contra Julian. cap. 181. & lib. 6. cap. 16.* & alibi videndus.

§. IV.

Illyrici fundamenta.

XIX. ERrorem suum auctoritate Sacræ Scripturæ primo conabatur tueri Illyricus. Ajebat enim, istam, dum peccatum originis describit, uti verbis substantiam exprimentibus. Genesis enim 8. ver. 21. juxta Hebraicum textum legitur: *Figmentum humani cordis malum est ab adolescentia sua*; ergo massa ipsa, seu substantia cordis est mala. Rom. 6. ver. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*; ergo peccatum substantia est, cum dicatur homo vetus, & habens corpus. Et ver. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* ver. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Si ergo peccatum regnat, si dominatur, aliquid substantiale erit.

XX. Confirmabat ita. Imago Dei in homine non erat accidens, sed substantia; sicut enim dicitur Genes. 1. ver. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*; ita *Genes. 5. ver. 3.* de Adam dicitur: *Et genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth*: sed certum est filium esse imaginem patris, non secundum accidentia solum, sed secundum naturam substantiæ; ergo homo conditus fuit ad imaginem Dei, etiam in substantia. Atqui homo peccando amisit similitudinem, & imaginem Dei, & transivit in imaginem, & similitudinem Diaboli, Joann: 8. ver. 44. *Vos ex patre Diabolo estis.* Et ad Coloss. 3. ver. 9. & 10. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum... secundum imaginem ejus, qui creavit illum*; ergo homo de imagine Dei transformatus fuit in imaginem Diaboli secundum substantiam, & factus est alius homo.

XXI. Respondeo, negando omnes Illyrici consequentias. Si enim modum loquendi Scripturæ ad rigorem vocum in omnibus accipere voluerit, multa admittere cogitur absurda, Deum habere manus, pedes, oculos, corpus &c.

Ad primum ergo dico, per figmentum cordis non intelligi substantiam cordis, sed operationes ejus, quas in se fingit, & ficit. Unde Vulgata nostra legit, non *figmentum*, sed, *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt &c.* Dico autem, quod intelligatur ipsa cordis substantia, non sequitur, eam per substantiam esse peccatum, sed a peccato denominari, seu operatione mala, quamvis operatio mala aliquid substantiale non sit: sicut homo dicitur infirmus per infirmitatem, & doctus per doctrinam, quamvis neutrum substantia hominis sit.

Ad secundum dico, per veterem hominem significari vitam veterem, seu actiones veteres. Nec homo vetus alius est a novo homine alietate substantiæ, sed alietate operationum, sicut 1. *Reg.* 10. *ver.* 6. dixit Saul Samuel: *Mutaberis in virum alium.* Ly autem, *ut destruatur corpus peccati*, non indicat, peccatum esse, vel habere corpus; sed destruere corpus peccati idem est ac deinceps nullum peccatum admittere. Unde subdit Paulus: *& ultra non serviamus peccato.* Immo ibi sermo est de peccatis actualibus, quæ certe corpus esse Illyricus non dicit.

Ad alterum Apostolicum dictum respondeo, ibi dici peccatum regnare, & dominari, eo modo, quo in superbo regnat superbia, & avaro avaritia dominatur, quæ certe substantia non sunt, sed accidentia. Regnare autem, & dominari dicuntur, quatenus inclinant hominem ad actus sibi conformes.

XXII. Ad confirmat. concedo, imaginem Dei sitam esse in substantia hominis; nego tamen hinc per peccatum fuisse

prorſus deperditam, ac deletam, vel in aliam transformatam. Fuit enim hic error Origenis pridem ab Eccleſia damnatus, ut colligitur ex Epiphanio *Hæreſ.* 64. Noto tamen, duplicem in homine eſſe imaginem Dei, unam per naturam, quæ eſt imago creationis, aliam per gratiam, quæ eſt imago recreationis. Hanc amiſit per peccatum, ut ait Auguſt. *lib. 6. de Gen. ad litt. cap.* 27. Quod tamen, inquit lib. 2. retract. cap. 24. *Non ſic accipiendum eſt, tamquam in eo nulla remanſerit, ſed quod tam deformis, ut reformationis opus haberet*. Et Hadrianus Papa in ſcripto ad Carolum Magnum pro Synodo Nicæna II. ex D. Auguſtino dicit, hominem per peccatum amiſiſſe imaginem Dei, quemadmodum nummus, ſi confricetur in terra, amittit imaginem regis. Sed hæc imago per gratiam donum Dei fuit, non ipſa hominis ſubſtantia: priorem vero imaginem, quæ in ſubſtantia, ut intellectualis eſt, conſiſtit, etiam peccando retinuit. Unde Div. Thom. qu. 22. de Verit. art. 6. ad 2. *Conformitas* (inquit) *imaginis attenditur ſecundum potentias naturales, quæ ſunt ei determinatæ a natura. Et ideo illa conformitas ſemper manet. Sed ſecunda conformitas, quæ & ſimilitudinis eſt per gratiam, & habitus, & actus virtutum, ad quæ omnia ordinantur per actum voluntatis, qui in ſua poteſtate conſiſtit; & ideo iſta conformitas non ſemper manet*. Videantur quæ ſupra diximus, *qu.* 1. *Dub.* 6. §. 4. *nu.* 21. Phariſæi autem ex Patre Diabolo eſſe dicuntur, non quia a Diabolo geniti, ſeu quia ab ipſo naturam acceperint, ſed per imitationem operum: & ideo imaginem ipſius gerere poſſunt dici, quia ſimiles ei ſunt, non ſubſtantia, ſed vitio, non natura, ſed moribus.

XXIII. Secundo opponebat. Peccatum originis eſt fons, & origo omnium peccatorum. Nam Apoſtolus *Rom.* 7. dicit, peccatum eſſe operatum in ſe omnem concupiſcentiam. Loqui autem Paulum de peccato originis apparet, quia ibi continuat diſputationem de peccato originali, quam cap. 5. inchoaverat: ſed fons, & radix omnium peccatorum eſt cor, ſive ipſa rationalis anima, dicente Chriſto Matth. 15. ver. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c.* ergo cor, quod ſubſtantia eſt, eſt peccatum originis.

XXIV. Reſp. diſt. maj. tamquam removens impedimenta peccatorum, conc. maj. tamquam per ſe influens in peccata, nego maj. Nam in baptizatis peccatum originale deletum eſt; & tamen in eis adhuc eſt principium ad peccandum inclinans, nempe fomes. Peccato ergo originali tamquam fonti tribui poſſunt omnia peccata actualia, quemadmodum cæcitati tribui poſſunt ceſpitatio, & lapſus hominis cæci. Quia ſicut cæcitas eſt privatio viſus ex quo ſequebatur rectitudo inceſſus; ita peccatum originale eſt privatio originalis juſtitiæ, qua inferiora hominis in ſuo ordine continebantur: ex qua privatione ſecuta eſt perturbatio ordinis, & inſurgentia partis inferioris contra ſuperiorem, & ex hac rebellione ſequuntur peccata. Quare Div. Thom. 2. 2. qu. 53. art. 1. ad 2. *Carentia* (inquit) *prudentiæ, & cujuslibet virtutis includitur in carentia originalis juſtitiæ, quæ totam animam perficiebat; & ſecundum hoc omnes iſti defectus virtutum poſſunt reduci ad originale peccatum*. Et in hoc ſenſu dicit Paulus, peccatum eſſe operatum in ſe omnem concupiſcentiam: quia (ut ait Div. Thom. in dictum caput lect. 2.) *Peccatum originale, quod ſcilicet ante gratiam Chriſti eſt in homine ſecundum culpam, & pœnam, veniente gratia tranſit reatu, & permanet actu quantum ad fomitem peccati, vel concupiſcentiam habitualem, quæ operatur in homine omnem concupiſcentiam actualem*. Sed de hoc, dubio ſequenti fuſius contra Lutheranos, & Calviniſtas volentes, concupiſcentiam habitualem eſſe formaliter ipſum originale peccatum. Ad intentum vero Illyrici,

Per hoc, quod de corde exeant cogitationes malæ, homicidia &c. ſequitur quidem, animam, & cor eſſe principium activum, & phyſicum talium actionum, ſed non aut animam aut cor eſſe ſubſtantialiter mala. Nam tales actiones non ſunt malæ, quatenus præciſe exeunt ab anima, & corde, cum ab his quoque exeant cogitationes bonæ; ſed quatenus exeunt ab anima, & corde ſequentibus ductum concupiſcentiæ, non rationis. Ex quo deduci ſolum poteſt, quod concupiſcentia ſit fons, & radix peccatorum, & vitiet voluntatem, ſeu cor per modum proponentis ei extrinſece objectum; quemadmodum S. Jacobus in Epiſt. ſua cap. 1. ver. 11. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*.

XXV. Opponebat tertio. Quidquid eſt difforme, ſeu non conforme legi Dei, eſt peccatum: ſed ipſamet ſubſtantia hominis deſcendentis ex Adamo eſt difformis legi Dei; ergo eſt peccatum.

Reſp. diſt. maj. ita ut ſit ipſa difformitas, conc. maj. ita ut ſit ſolum ſubjectum difformitatis, nego maj. & ſimiliter diſt. min. Subſtantia hominis ab Adamo deſcendentis eſt quidem ſubjectum habitualis difformitatis legi Dei, ſicut ſubſtantia Adami peccantis fuit ſubjectum actualis difformitas: ſed ſicut ſubſtantia Adami non fuit actualis difformitas: ita nec ſubſtantia Poſterorum ejus eſt ipſa habitualis difformitatis, quod requireretur, ut eſſet formaliter ipſum peccatum. Eo ergo modo, quo homo febricitans, eſto ſit ſubjectum habens alterationem febrilem, non eſt tamen ipſa febris, quia non eſt ipſa alteratio: ſic ſubſtantia hominis ex Adamo deſcendentis eſt quidem ſubjectum peccati, ſeu privationis juſtitiæ originalis, non eſt tamen ipſum peccatum, ſeu ipſa privatio. Concupiſcentia item non nominat ſubſtantiam animæ, neque ejus potentiam abſolute, ſed potentiam, nempe appetitum deordinatum, & vitiatum: unde in ſtatu innocentiæ fuiſſet appetitus ſenſibilis, ſed non concupiſcentia, quia fuiſſet ordinatus.

D U B I U M II.

An Peccatum Originale ſit formaliter ipſa Concupiſcentia?

§. I.

Error Recentiorum Hæreticorum.

I. COmmunis apud recentiores Sectarios ſententia eſt concupiſcentiam, & alia naturæ corruptæ vulnera, ignorantiam ſcilicet, difficultatem ad bonum, & propenſionem ad malum eſſe formaliter ipſum peccatum originale. Quæ omnia cum in homine baptizato, & juſtificato adhuc maneant, inde inferunt per Baptiſmum peccatum originale non deleri, aut tolli, ſicut nec peccata actualia per juſtificationem, ſed tegi ſolum & non imputari.

II. Hunc errorem expreſſe confirmavit Lutherus *in Aſſert. articulorum art.* 2. Cum enim Leo X. inter alias hanc ejus propoſitionem damnaſſet: *In puero poſt Baptiſmum negare, remanens eſſe peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare*. Lutherus commotus, poſtquam Scriptura, & Patribus errorem ſuum munire conatus fuit: *Scio autem* (inquit) *quid hic mihi oppoſituri ſunt, ſcilicet omnia, quæ dicta ſunt, probare, non peccatum, ſed defectum, ſeu infirmitatem in nobis relinqui poſt Baptiſmum, ſic enim fomitem, & paſſiones carnis vocant.... Verum quod defectum ſic appellant, ut peccatum eſſe negent, & non culpam, ſed pœnam tantum peccati eſſe velint, admittere non poſſum*.

III. Idem ſentit Melanchthon *de loc. Theol. poſtremo editis tit. de peccato originis*, ubi de concupiſcentia: *Sed hæc* (inquit) *ſimul & pœna eſt primi lapſus, & in naſcentibus peccatum ipſum... Nec recte hanc inclinationem pravam, quam vocant fomitem, tantum pœnam Monachi eſſe dixerunt*.

IV. In idem conſpiravit Calvinus *lib.* 2. *Inſtit. cap.* §. 8. ubi definit peccatum originale, quod ſit *Hæreditaria naturæ noſtræ pravitas, & corruptio in omnes animæ partes diffuſa, quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis. Atque id eſt proprie, quod a Paulo ſæpius peccatum nominatur*. Et *lib.* 3. *cap.* 3. §. 10. ex eo, quod etiam in viris Sanctis maneat concupiſcentia, ſeu fomes ad malum, contendit, in eis ſemper manere peccatum, quod Auguſtini auctoritate ſe probare gloriatur. Sed iſtos dimittamus.

V. Omnes tamen Catholicorum Scholæ contra præfatos Hæreticos tenent, concupiſcentiam eſſe quidem peccati originalis effectum, ſeu quaſi materiam; non eſſe tamen formaliter ipſum peccatum originale, & in regeneratis, ac juſtificatis adeſſe quidem habitualem concupiſcentiam, ſed originale peccatum deletum eſſe. Quapropter S. Thomas, quem Catholicæ Scholæ ſequuntur 1. 2. *qu.* 82. poſtquam *art.* 1. docuit, peccatum originale eſſe quemdam inordinatam diſpoſitionem provenientem *ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ; ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, ſecundum quam ſolvitur æqualitas, in qua conſiſtit ratio ſanitatis*. Articulo tamen tertio, ubi dividit habitum illum in averſionem mentis a Deo, & rebellionem partis inferioris a ratione, ſtatuit, *quod privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ, ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale*.

VI. De ſenſu vero, in quo D. Thomas dicat, concupiſcentiam eſſe *quiddam materiale* peccati originalis; varie opinantur Noſtrates. Ergo S. Doctoris mentem magis aſſequi exiſtimo, qui dicunt, eum vocaſſe concupiſcentiam quiddam materiale, ideſt quiddam conſequens peccatum originale, tamquam ſecundarium, & effectus illius; quod enim ex conſequenti, & ſecundario ſe habet, materialiter ſe habere dicitur. Hanc eſſe ſuam mentem indicavit tum 1. 2. *qu.* 83. *art.* 2. *ad* 4. dicens: *Concupiſcentia ſe habet materialiter, & ex conſequenti in peccato originali*. Ex eo enim, quod anima habitualiter eſt averſa a Deo, ſequitur, quod vires inferiores ad commutabile bonum converſæ ſint, quæ converſionem ex conſequenti, & quaſi materialiter ſe habet; ut docet *qu.* 4. *de Malo art.* 2. Eſto autem per gratiam baptiſmalem tollatur averſio a Deo, quæ eſt formale; manet tamen converſio, quæ eſt concupiſcentia quia ſemper manet natura corrupta. Sed de hoc inferius §. 4.

§. II.

Catholica veritas.

VII. DIco. Peccatum originale non eſt formaliter concupiſcentia, nec fomes ad malum inclinans. Ita Catholici omnes contra Lutheranos, & Calviniſtas. Probatur. Quidquid veram, ac propriam rationem formalem peccati originalis habet, tollitur in Baptiſmo, & per Baptiſmum, ſed in Baptiſmo, & per Baptiſmum, non tollitur concupiſcentia, ſeu fomes; ergo concupiſcentia, ſeu fomes non eſt formaliter peccatum originale. Major, quam Adverſarii negant, volentes, peccatum originale in Baptiſmo non deleri, ſed ſolum tegi, ac non imputari, probatur ex D. Paulo Rom. 8. ver. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant*, ideſt, ut explicat Div. Thom. ibi lect. 1. *Ex quo ſumus per gratiam liberati, nihil damnationis eſt reſiduum; quia & tollitur damnatio quantum ad culpam, & quantum ad pœnam* iis, qui non ſe-

cundum carnem ambulant, *ideſt concupiſcentiam carnis non ſequuntur*. At ſi per Baptiſmum non tolleretur quidquid habet rationem formalem originalis peccati, aliquid damnationis eſſet in iis, qui per gratiam renati ſunt in Chriſto Jeſu, & qui non ſequuntur concupiſcentiam carnis; ergo &c.

VIII. Nec valet reſpondere cum Calvino *in dictum caput*, & aliis ejuſdem furfuris, S. Paulum ſolum velle, quod eſto peccato adhuc teneantur obſtricti, exempti tamen ſunt a damnatione; quia peccatum eis amplius non imputatur.

Nam hæc reſponſio contradicit S. Paulo, qui dicit, *nihil damnationis eſſe* in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, hoc eſt, nihil damnatione dignum; ipſa autem dicit, in eis remanere aliquid, immò totum, quod eſt damnatione dignum, dum ait, eos remanere peccato obſtrictos —— Nec valet dicere, remanere, ſed non iis, quia eis ad reatum non imputatur amplius —— Contra enim eſt primo. D. Paulus dicit, *nihil damnationis eſt*; non dicit, *imputatur*, vel *adſcribitur*. Secundo. Ut fatentur Adverſarii, in renatis tollitur reatus peccati; ergo tollitur ab eis omnis ratio peccati. Probo conſeq. Tum quia Aug. *lib.* 1. *de Nupt. & concup. cap.* 26. probat, concupiſcentiam in renatis non manere ut peccatum, quia in eis non manet reatus, dicens: *Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati*. Tum quia Calvinus *l.* 3. *Inſtit.* c. 3. §. 11. ſentit, dimiſſo reatu, manere in homine peccati materiam, quia manet concupiſcentia, quæ materia quidem peccati eſt, ut ſupra dicebamus cum D. Thoma, non vero ipſum formale peccati. Tum tertio. Quia cum reatus nil aliud ſit, quam dignitas damnationis fundata in peccato, ſeu meritum pœnæ, eſt omnino inſeparabilis ab eo, quod natura ſua dignum eſt damnatione æterna; ergo ſi concupiſcentia, etiam in renatis, natura ſua digna eſt morte æterna, reatus, ſeu dignitas, ac meritum pœnæ ab ea tolli non poteſt. Licet enim Judex poſſit nolle damnare homicidam, non tamen facere poteſt, quin homicida ſit reus, & morte dignus; ergo vel falſum dicit Apoſtolus, dum ait, in renatis nihil eſſe damnationis; vel falſum dicunt Adverſarii, volentes, concupiſcentiam, quæ non manet in renatis, eſſe peccatum, & non eſſe damnatione dignum. Quare merito Trid. Seſſ. 5. Can. 5. *Si quis* (inquit) *per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit: In renatis, enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*.

IX. Hinc minor principalis ex prædictis ſatis apparet; cum in renatis non tollatur, ſed adhuc maneat concupiſcentia, cujus ſtimulos, & motus nemo eſt quantumvis Sanctus, & juſtus, qui de lege ordinaria non experiatur. Quapropter D. Paulus, etſi magnitudine revelationum præditus, adhuc tamen conquerebatur 2. *Cor.* 12. *v.* 7. ſtimulo carnis ſuæ ſe colaphizari. Et Rom. 7. v. 23. *video autem* (inquit) *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c.*

X. Secundo probatur. Concupiſcentiæ nomine, quam dicunt eſſe formaliter peccatum originale; vel intelligunt concupiſcentiam actualem, nempe actuales concupiſcentiæ motus; vel ſolam concupiſcentiam habitualem. Si primum dicant; ergo in parvulis non renatis, in quibus nulla eſt actualis concupiſcentia, ſeu nullus actualis concupiſcentiæ inordinatus motus, nullum erit actu peccatum originale, quod eſt Pelagianum aſſerere. Si vero dicant ſecundum, ut revera dicunt, volentes, peccatum originis, ſeu naturæ, eſſe propenſionem naturæ vitiatæ ad rebellandum adverſus rectam rationem, & legem Dei. Contra eſt, primo: Nam propenſio ad rebellandum legi Dei, & rationi eſt quidem effectus, & cauſa peccati; ſed ipſa non eſt formaliter ipſum peccatum, propter quod homo ſit dignus morte: ſicut propenſio ad rebellandum Principi digna morte non eſt, ſicut neque formaliter eſt ipſa rebellio. Ea ergo ratione, qua potentia progreſſiva ad claudicandum prona, ſive ex lapſu facta, ſive ex generatione contracta, non eſt ipſa formalis claudicatio, ſeu lapſus, ſed ex lapſu, vel defectu generantis orta, & claudicationis formalis cauſa: ita ordinatio virium inferiorum non eſt ipſum formale peccatum originis, ſed ex inordinatione partis ſuperioris in Adamo contracta, & cauſa actualis inordinationis in ejus Poſteris.

Secundo. Si homo conditus fuiſſet, vel conderetur in puris naturalibus, eſſet in eo pronitas ad delectabile, & concupiſcentia potens rebellare adverſus rationem, & tamen in eo peccatum originale non eſſet; ergo concupiſcentia &c. Hinc male Gomarus in *c.* 7. *Epiſt. ad Rom.* concupiſcentiam aſſimilat veneno. Venenum enim ſuapte natura nocivum homini eſt, at non ſic concupiſcentia; eſt enim portio ſenſitivæ partis, quæ, ſi bene regatur, ſervit homini ad bonum, nec efficitur nociva, niſi ex conſenſu voluntatis in turpe. Ac propterea Tridentina Synodus Seſſ. 5. de Pecc. orig. *Manere autem* (inquit) *in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc S. Synodus fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet; quinimmo, qui legitime certaverit, coronabitur*.

XI. Hoc explicuerat S. Jacobus in ſua Epiſt. *c.* 1. *v.* 14. & 15. dicens: *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem*. Ubi quatuor diſtinguere videtur Jacobus. Primo concupiſcentiam, ideſt potentiam appetitivam excitantem, & ſtimulantem ad motus malos. Deinde tres ejus motus, nempe ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum. Ubi obſervandum, quod concupiſcentiam, dum tentat, & allicit, non appellat *peccatum*; Dum vero concipit delectationem, quæ dum non eſt plene deliberata, eſt partus imperfectus, parit peccatum quidem, ſed non mortale. Denique ſi partus iſte initio imperfectus perficiatur, conſummetur, & perducatur uſque ad delectationem plenam, & conſenſum deliberatum ſive opere exterius, ſive corde ſolum interius, tunc generat mortem animæ; eſt enim peccatum conſummatum juxta verbum Chriſti Matth. 5. v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*.

§. III.

Acatholicorum momenta.

XII. PRimum momentum ſtatuunt Acatholici ex S. Paulo concupiſcentiam *peccati* nomine non raro vocante. Etenim Rom. 6. v. 12. *Non ergo* (inquit) *regnet peccatum in veſtro mortali corpore*: ut autem intelligatur loqui de concupiſcentia, ſtatim ſubdit: *ut obediatis concupiſcentiis ejus*.

Similiter ibid. *c.* 7. *v.* 17. loquens de concupiſcentiæ prævenientis motu, ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum* & v. 20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Peccatum autem, quod dicit habitare in ſe, non eſt actuale, ſed habituale, nempe concupiſcentia in eo manens, quaſi quædam lex contraria legi Dei, & repugnans legi mentis. Unde v. 23. *Video* (inquit) *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*.

XIII. Reſpondent communiter Doctores Catholici, concupiſcentiam a D. Paulo dici peccatum, quia ex peccato eſt, nempe originali, & ad peccatum ſollicitat, & inclinat: quæ in homine regnare dicitur, dum homo per conſenſum obedit motibus inordinatis ejus, quos per gratiam frænare debuerat. Ne ergo in homine concupiſcentia regnet, hortatur Paulus, ne obediant concupiſcentiis ejus, aut pravis cupiditatibus ad peccatum illicientibus morem gerant; quaſi exhibentes membra ſua *arma iniquitatis peccato*; ideſt ad peccatum, ſed arma juſtitiæ Deo ad ejus legis obſervantiam. Aliud enim eſt concupiſcentiam eſſe in homine, aliud concupiſcentiam in homine regnare. Primum in omni homine lapſo reperitur ex Adami peccato, ſecundum vero in eo ſolum, qui concupiſcentiis obedit, ſeu poſt eas vadit. Unde Eccleſiaſtici 18. v. 30. monetur: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Poſt concupiſcentias autem ire, eſt concupiſcentias, & deſideria carnis ſequi: ſicut aliud eſt in carne ambulare, aliud ſecundum carnem, ut ait Apoſtolus 2. *Cor.* 10. *v.* 3. & 4.

Audiatur propterea S. Aug. Serm. 128. alias 43. de verb. Dom. c. 16. *Non inquit, regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Quamdiu enim portatis mortale corpus, pugnat contra vos peccatum, ſed non regnet. Quid eſt non regnet? ideſt ad obediendum deſideriis ejus. Si cœperitis obedire, regnat. Et quid eſt obedire, niſi ut exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato? Nihil hoc Doctore præclarius . . . Surgit libido: tene tu membra, quid factura eſt, quæ ſurrexit? Tu tene membra, noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato, noli armare adverſarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido ſurrexit; tene tu membra, tene tu manus ab omni ſcelere, tene tu oculos, ne male attendant, tene aures, ne verba libidinis libenter audiant, tene totum corpus, tene latera, tene ſumma, tene ima. Quid facit libido? Surgere novit, vincere non novit*. Hæc Auguſtinus. Non enim ſenſus illiciti, ſed conſenſus illiciti peccatum eſt. *Aguntur quidem in me, ſed a me non aguntur, ſi non conſentio . . . mea dixerim, non quia facio; ſed quia ſuſtineo . . . ſufficit interim mihi, ſi non regnet peccatum in meo mortali corpore &c.* Ajebat Bernardus *de Officio Epiſcoporum c.* 6. alias *Ep.* 42. *ad Epiſc. Senonenſem*.

XIV. Ex his reſpondetur ad alterum textum ex Paulo. Ait enim: *Jam non ego operor illud*, ideſt malum, ſeu pravos concupiſcentiæ motus, quia non conſentio exhibere membra mea arma iniquitatis peccato: ſed illos operatur, quod habitat in me peccatum, ideſt concupiſcentia, quæ ex peccato eſt, & ad peccatum impellit. Unde ſubdit: *Si autem quod malo, illud facio*, ideſt non conſentiens, *jam non ego operor illud*, volens ſcilicet, ſed ea patior, & ſuſtineo ex inclinante carnem meam concupiſcentia, & ad peccatum ſtimulante, quæ propterea *peccatum* a Paulo nominatur. *Operantur ergo peccatum hoc deſideria, quibus ſi obedimus, & nos operamur: ſi autem obtemperantes Apoſtolo non obedimus eis, non illud nos operamur, ſed quod in nobis habitat peccatum. Si autem deſideria nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porro illiciti deſiderii, cui non obediendo non eum nos operamur, ideo & nos agere dicimur; quoniam non eſt naturæ vigor alienæ, ſed languor eſt noſtra, a quo languore omni modo ſalvi erimus, cum & animo, & corpore immortales facti fuerimus. Quapropter & quia in viis Domini ambulamus, non obedimus deſideriis peccati: & quia non ſumus ſine peccato, habeamus deſideria peccati. Ac per hoc jam nos ea non operamur, non eis obediendo, ſed quod in nobis habitat peccatum, eadem commovendo*. Ita S. Auguſtinus *in Pſalm.* 108. *Serm.* 3.

XV. Præterire hic non poſſum, quam ſtulte ſibi ex hoc loco blan-

blandiantur Quietistæ, qui exhibentes membra sua omnibus immunditiis carnis, tuentur se, dicentes: *Non ego operor, sed quod habitat in me peccatum*. Eos enim reprehensione sua prævenit S. Aug. *lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 28.* his verbis: *Multum autem fallitur homo, qui consentiens concupiscentiis carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere, & statuens, putat, sibi adhuc esse dicendum*, non ego operor illud, *etiam si oderit, quin consentit. Simul enim est utrumque: & ipse odit, quia malum esse novit: & ipse facit, quia facere statuit. Sane vero si & illud addat, quod Scriptura prohibet dicens*: Neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato, *ut quod facere statuit in corde, etiam corpore compleat, & ideo dicat*, non ego operor illud, *sed* quod habitat in me peccatum, *quin cum id decernit, & facit, & displicet sibi, tantum errat, ut nec seipsum agnoscat; quando cum ex toto ipse sit, & corde statuente, & corpore implente, adhuc seipsum esse non putat. Qui ergo dicit*, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, *si tantummodo concupiscit, verum dicit, non si corde consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit*. Hæc S. Doct. acute, ut de more.

XVI. Porro observandum pro complemento est, quod cum Paulus citato loco loquatur de seipso in persona hominis jam per Baptismum in Christo renati, ut Patres, & Theologi frequentius docent, nec Protestantes ipsi dissentiunt; propterea dum ait: *habitat in me peccatum*, loqui non potest de peccato originali formaliter (hoc enim per Baptismum mundatus ipse fuerat, & non solum ei non imputatum, ut perperam Adversarii autumant, quos alio loco specialiter confutabimus) sed loquitur de effectu, vel causa peccati, nempe de concupiscentia, & fomite; qui esto peccatum originale non sit, linguor tamen est, & vitium ex peccato originali in natura relictum, & pœna ejus, & ad peccatum inclinans. Mos enim S. Scripturæ est, vocem peccati usurpare nunc pro culpa ipsa, nunc pro effectu, & pœna culpæ, nunc pro causa culpæ, nunc denique pro Sacrificio, quod est culpæ, expiatio. *Deut. 9. v. 21.* vitulus, quem adoraverant Hebræi, & quem Moyses combusserat, Moyses ipse *peccatum vocat*, quia scilicet causa, vel effectus fuit peccati. Pœnam, quam indixerat Deus Ægyptiis cœterisque Gentibus, quæ ipsum adoraturæ in Jerusalem non iissent, *Peccatum* vocat Zacharias 14. v. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum*. S. Paulus nomine *peccati* legem appellat, *Lex peccatum est*, Rom. 7. v. 7. Et tamen non quærebat, an lex formaliter peccatum esset, sed solum causa, an occasio peccati. De Christo tandem idem Paulus 1. *Cor. 5. v. 21.* dicit: quod Deus *eum* (Christum) *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, nimirum hostiam, seu victimam pro peccato, eo modo, quo Oseas *c. 4. v. 8.* de Sacerdotibus ait: *Peccata populi comedent*, nempe victimas pro peccatis oblatas. Si igitur peccati nomen tot variis modis in Scripturis usurpatur, cur de peccato stricte sumpto accipi volunt hic a Paulo Protestantes? Immo oppositum evinco sic. Paulus *Rom. 6. 12. & Rom. 7. v. 18. & 23.* citatis loquitur de peccato, quod regnat, seu habitat in carne, & membris: quis autem peccatum formaliter residere in carne, aut membris unquam somniavit? Peccatum illud vocat legem facientem servire peccato: lex autem, quæ facit servire peccato, est quidem causa ad peccandum movens, sed non est ipsa peccatum; sicut lex faciens servire justitiæ, est quidem ad justitiam movens, sed non est ipsa justitia. Merito itaque Concilium Trid. Sess. 5. Can. 5. *Hanc* (inquit) *concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*.

XVII. Hanc explicationem tradiderat S. Augustinus *l. 1. de Nupt. & concup. c. 23.* ubi de concupiscentia: *Sic autem* (inquit) *vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio, quam facit manus; & manus vocatur Scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum; quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat*. Hoc repetit *l. 1. Retract. cap. 15.* ubi observans, Paulum dicere; *Quod nolo hoc facio*: ait: *Quomodo ergo nusquam est, nisi in voluntate peccatum?* Cui respondet: *Sed hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur*.

XVIII. Sed instabis. S. Aug. *l. 5. contra Jul. c. 3.* parificans concupiscentiam cæcitati cordis: *& sicut* (inquit) *cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est defectione consentientis, vel concupiscentiæ nascentis*. His verbis suo errori aperte patrocinari Augustinum gloriantur Heterodoxi.

XIX. Quia vero Catholici Doctores respondere solent, S. Augustinum concupiscentiam appellare peccatum, & non solum causam, vel effectum peccati, non quod ipsa sit proprie peccatum, & offensa Dei reddens hominem divino odio dignum: sed eam dicere peccatum, eo quod sit vitium, & infirmitas naturæ tollens ab ea primam perfectionem, & ingenitum vigorem, quam in sui prima formatione a Deo acceperat, non vero naturale bonum ipsi naturæ ex sua conditione conveniens, quale Pelagiani, & inter cæteros Julianus, contra quem scribebat, prædicabant; ideoque illam in Paradiso ante peccatum ponebant tamquam affectionem naturalem, & innocentem (ut videre est *l. 1. Oper. imperfecti contra Julian. cap. 70. & 71.*) cum Augustinus non naturam, sed morbum, & languorem naturæ assereret.

XX. Contra instant. Primo. Concupiscentia a D. Augustino eodem modo vocatur peccatum, quo cæcitas, qua Deo non creditur; sed cæcitas proprie & formaliter est peccatum; ergo & concupiscentia.

Secundo instant. S. Augustinus reprehendens Julianum dicentem, hanc concupiscentiam, seu *inobedientiam carnis potius esse laudabilem, si pœna peccati est, velut nutricem sceleris, & in hoc Dei ministram*, ait posse hoc modo laudari & Angelos malos, *qui utique non sunt nisi prævaricatores, atque impii, per quos Deus meritas pœnas irrogare peccantibus Sancta Scriptura testatur*: cum ergo Angeli mali sint formaliter in se mali, & non solum causa, concupiscentia erit formaliter in se mala, & peccatum.

XXI. Respondetur ad primam instantiam primo, similitudinem inter cæcitatem cordis & concupiscentiam carnis in hoc solum statui ab Augustino, quod sicut cæcitas cordis non est bona, & laudanda, etsi pœna peccati sit; ita neque concupiscentia carnis, quamvis sit pœna peccati, quia peccatum, idest vitium naturæ est ex peccato contractum. Hinc

XXII. Respondetur secundo, cordis cæcitatem in eis solum esse formaliter peccatum, qui voluntarie se obcæcaverunt, seu qui lucem veritatis respuerunt. In eis autem, in quibus cæcitas, aut ignorantia voluntaria non fuit, ut in Infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audierunt, vel audire potuerunt, cæcitas, aut ignorantia pure negativa est, & non culpanda, ut docet Epist. 105. modo 194. ad Sixtum cap. 6. *Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati*. Docet quoque S. Th. 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. ubi de infidelitate loquens: *Si autem* (inquit) *accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœna: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis consecuta est*.

XXIII. Respondetur tertio, D. Augustinum vocare cæcitatem, & concupiscentiam carnis *peccatum*, non illas accipiendo secundum se, & prout consequuntur peccatum originale, sed quatenus fiunt homini aliquomodo voluntariæ ex peccatis præcedentibus: interdum enim permittit Deus, ut homo in cæcitatem labatur, & concupiscentiæ motibus cedat in pœnam priorum peccatorum. Ita se explicat idem S. Aug. *l. 5. contra Julian. citato cap. 3.* Cum enim objiceret Julianus: si libido pœna peccati est, toleranda igitur erit, non comprimenda, & pudicitia abjicienda, ne homo sententiæ Dei sese opponat. Respondet S. D. allato exemplo de cæcitate, quam etsi pœnam, tolerare homo non debet sed vincere, quod eam pœnam, quæ nec error est, nec libido, tolerare debet patientia. Error autem, & libido tolerata, & volita, non solum pœna est, sed & peccatum.

Deinde asserens illud Rom. 1. v. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, subjungit: *Proinde est hac pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est... At per hoc aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis, possideantur ab eis*, quod fit, cum divino *judicio traditur eis. Alioquin sensata dictum est*: Post concupiscentias tuas non eas (Ecclesiastici 18. v. 30.) *Si jam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec ex sequitur, si non eis traditur, exercens adversus eas gloriosa certamina, si vivit in gratia*. Et post aliqua, subdit: *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis, atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: & sic ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati*. En ergo quomodo concupiscentiam Augustinus peccatum dicit, concupiscentiam scilicet, cui accedit consensus, non concupiscentiam, quæ consensum prævenit, ut volunt Protestantes.

XXIV. Secundum Protestantium momentum est. Concupiscentia est formaliter malum morale; ergo est formaliter peccatum: non personale; ergo originale. Anteced. probant primo. Quidquid formaliter opponitur legi, & dictamini rationis, formaliter malum morale, & peccatum est: at hujusmodi est juxta illud Pauli Rom. 7. v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*; ergo &c.

Secundo. Quidquid peccatum inducit, formaliter peccatum est: sed concupiscentia, ex eodem Paulo citato, ad peccatum inducit, captivat enim in lege peccati; ergo &c.

Tertio probant. Solum peccatum odio habetur a Deo: sed Deus concupiscentiam odit, unde *Aug. in Psalm. 25.* ad illa verba: *Malitiam autem non odivit: Vince* (inquit) *peccatum, & voluptatem ejus; peccatum, & iniquitatem oderis, ut jungas te Deo, qui tecum illud oderit*. Ubi peccati nomine concupiscentiam intelligit.

Quarto. Solum peccatum Deus non causat: sed concupiscentiam Deus non causat, cum enim illa ad peccatum inclinet, Deus si illam causaret, ad peccatum instigaret; ergo &c.

XXV. Respondetur, negando ant. Ad ejus primam prob. neg. min. Concupiscentia enim per se, & dum in membris sistit, malum

lum morale, aut peccatum formaliter non est, sed malum pœnæ ex peccato factum, & ad peccatum inclinans. Ita D. Aug. *l. 1. Oper. imperf. contra Julian. c. 71.* & in hoc sensu lex peccati a D. Paulo vocatur: *Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet: si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare*.

Quomodo autem concupiscentia *lex* dicatur, exponit D. Thomas 1. 2. *q.* 91. *art.* 7. Lex enim essentialiter est in Legislatore, participative autem in his, qui subduntur legi, & per legem ordinantur. In his vero aliqua ordinatio dupliciter esse potest a Legislatore. Uno modo directe eos ad aliquos diversos actus inclinando, sicut alia lex est militum, alia est lex mercatorum. Alio modo indirecte, in quantum scilicet Legislator destituit aliquem sibi subditum aliqua dignitate, ipsum in alium ordinem, & quasi in aliam legem transferendo, puta si miles ex militia detrudatur ad ordinem rusticorum. Sic igitur sub Deo Legislatore diversæ creaturæ diversas sortitæ sunt leges, ita ut, quod uni est quodammodo lex, alteri fit contra legem; ut esse furibundum est quodammodo lex canis, est autem contra legem ovis, vel alterius mansueti animalis: *Est ergo homini lex, quam sortitur ex ordinatione divina, secundum propriam conditionem, ut secundum rationem operetur. Quæ quidem lex fuit tam valida in primo statu, ut nihil vel præter rationem, vel contra rationem posset subrepere homini. Sed dum homo a Deo recessit, incurrit in hoc, quod feratur secundum impetum sensualitatis*. Et proinde quod in aliis animalibus habet quasi rationem legis, & naturalis ordinationis *in hominibus.... non habet rationem legis, sed magis est deviatio a lege rationis. Sed in quantum per divinam justitiam homo destituitur originali justitia, & vigore rationis, ipse impetus sensualitatis, qui eum ducit, habet rationem legis, in quantum est pœnalis, & ex lege divina consequens hominem deficientem propria dignitate*.

XXVI. Ad secundam probationem antecedentis, nego maj. Non enim id omne, quod ad peccatum inducere potest, peccatum est: sed solum id formaliter appellatur peccatum, quod voluntas pleno ac libero consensu contra Deum admittit. Neque ex quo concupiscentia generet peccatum, sequitur, eam formaliter peccatum esse. Nam S. Paulus 2. *Tim.* 2. *v.* 23. hortatur Timotheum ut vitet stultas quæstiones, quia generant lites; & tamen lites non sunt, etsi causa litis. Idem *Heb. 6. v. 7.* scribit, quod terra venientem super se hibens pluviam, generat herbam; & tamen quis unquam credidit terram aut pluviam esse herbam? S. item Jacobus *cap.* 1. *v.* 14. dicit peccatum cum consummatum fuerit generare mortem æternam; & tamen peccatum esse mortem æternam nullus dicit. Sit ergo lex concupiscentiæ lex peccati, non erit tamen ipsa peccatum, sed faciens servire peccato; sicut lex faciens servire justitiæ, ipsa non est justitia.

XXVII. Ad tertiam prob. nego maj. Non enim solus Deus odit malum morale, seu peccatum formaliter, sed id quoque, quod est malum morale causaliter, seu causa malitiæ moralis, ut constat in habitu vitioso, qui odio habetur a Deo, quatenus inclinat ad actus malos, esto per se non sit formaliter peccatum. Augustinus autem ibi peccati nomine concupiscentiam appellat, non quatenus prævenit, sed quatenus includit voluntarum hominis consensum; ait nempe: *Sunt enim homines prorsus, qui non pugnant, qualis est ipse, de quo loquitur* (Psalmista) *cum dixit*: Malitiam non odio habuit. *Quomodo enim pugnaret contra eam, quam non odit? &c.*

XXVIII. Ad quartum, nego similiter maj. Ut enim aliquid non causetur formaliter a Deo, non requiritur, ut formaliter peccatum, seu malum morale sit; sed sat est, ut ad malum inclinet, & impellat: hac enim ratione habitum vitiosum Deus non causat. Unde Aug. lib. 2. de Nupt. & conc. c. 7. Opus (inquit) *Dei est homo: sed carnis concupiscentia, sine qua, si peccatum non præcessisset, tranquilla voluntati obedientibus, sicuti cætera membra, genitalibus, seminaretur homo, non est a Patre, sed ex Mundo est*.

XXIX. Sed dicent. Christus assumpsit eos omnes naturæ humanæ defectus, qui non sunt formaliter peccatum: sed fomitem, & concupiscentiam non assumpsit; ergo signum est, fomitem, & concupiscentiam esse formaliter peccatum.

Respondetur, nego maj. Nam Christus non assumpsit ignorantiam, aut errorem, quæ tamen peccatum formaliter non sunt. Ideo ergo in Christo fomes, aut concupiscentia non fuit, non quia sit formale peccatum; sed quia ex originali peccato est, quod in Christo non fuit: & quia, ut docet S. Thomas 3. *part. q.* 15. *art.* 2. cum sit inclinatio sensualis appetitus in id, quod est contra rationem, non debuit esse in Christo, cujus virtus adeo fortis erat, ut totaliter carnem comprimeret, ne posset rationi resistere. Hinc S. Aug. *lib. 5. contra Julian. cap.* 15. ait: *Et utique concupiscentia, quæ repugnat, ut trahat, etiamsi spiritu contra eam concupiscente, & resistente non trahat, ac propterea nec concipiat, parietque peccatum, non est bonum. Ex ipsa est, de qua dicit Apostolus*: Scio, quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. *Hoc autem, quod non est bonum, Christus in natura si haberet sua, non sanaret in nostra*.

XXX. Tertio arguit Calvinus *l.* 1. *Inst. c.* 2. §. 66. contendens ostendere, peccatum originale remitti quidem in Baptismo quoad reatum, manere tamen adhuc in renatis, quia manet in eis concupiscentia; manere, inquit non regnare; unde advertens, Paulum Rom. 6. v. 12. dicere: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, subdit Calvinus: *Non ait, non sit, sed non regnet. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis*.

Respondetur tamen, Calvini assumptum falsum esse, jam constare ex dictis §. præcedente. Peccatum enim originale in Baptismo prorsus deleri ostendimus, & Tridentinum statuit. Apostolus autem dixit: *Non regnet peccatum*; non vero dixit: *non sit*. Non quia peccatum originale post Baptismum quoad maculam vere maneat, & sit; sed ait, *Non regnet*, inquit D. Thom. in dictum caput 6. lect. 3. *Non autem dicit* non sit peccatum in vestro mortali corpore; *quia quamdiu corpus nostrum est mortale, idest necessitati mortis addictum, non potest esse, quin in corpore nostro sit peccatum, idest fomes peccati*. Peccatum, quod est in corpore, nequit dici proprie peccatum, quod residet in anima, sed vel effectus, vel causa peccati.

XXXI. Quarto objici potest. Saltem in non renatis concupiscentia est formaliter peccatum originale. Et probatur. Nam Tridentinum *Sess. 5. Can. 5.* ait, concupiscentiam non sic dici peccatum, *quod vere & proprie in renatis peccatum sit*; ergo concupiscentia in non renatis vere & proprie peccatum erit. Conseq. probatur per argumentum a contrario sensu; sicut ex eo, quod ibidem dicit: *In renatis nihil odit Deus*, bene sequitur: *ergo in non renatis aliquid odit Deus*. Resp. neg. conseq. Vel enim non renatus consentit concupiscentiæ, & sic concupiscentia est quidem illi peccatum, non tamen originale, sed actuale. Vel ei ex quadam naturali honestate resistit, & sic concupiscentia illi non est peccatum nec originale, nec actuale.

Illud autem argumentum: *In renatis nihil odit Deus*: ergo in non renatis aliquid odit, magis valet ratione materiæ, quam ratione formæ: unde non valet simili modo 1 operarguere. Sicut non valet: in iis, qui in gratia non sunt confirmati, nihil odit Deus: ergo in iis, qui in gratia non sunt confirmati, aliquid odit Deus; cum dari possit justus in gratia non confirmatus, in quo Deus nihil oderit. Et si homines fuissent in puris naturalibus conditi, & subinde variis concupiscentiæ motibus obnoxii, & postea instituto Baptismo, eodem tincti fuissent, dici de illis potuisset: in renatis concupiscentia non est peccatum: ex quo tamen concludi non potuisset; ergo in non renatis concupiscentia est peccatum originale, immo neque actuale, nisi consentirent.

§. IV.

An Concupiscentia sit peccatum originale saltem materialiter, seu ad peccatum originale se habeat, ut materiale?

XXXII. SAnctus Thomas (ut superius §. 1. *n.* 6. indicavimus) tum 1. 2. *q.* 82. *art.* 3. tum *in* 2. *senten. dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *in corp. & ad* 4. tum *q.* 4. *de Malo a.* 2. per totum, tum alibi perpetuo docet, defectum, seu privationem originalis justitiæ esse in peccato originali tamquam formale, concupiscentiam vero quasi materiale. Docet enim præsertim in secundo loco laudato in corp. quod *in quolibet peccato est invenire aliquid quasi formale, & aliquid materiale. Si enim consideramus peccatum actuale, ipsa substantia actus deordinati materialiter in peccato se habet: sed deordinatio a fine formale in peccato est, quia ex hoc rationem mali præcipue habet. Unde dicitur, quod conversio ad bonum commutabile est ibi sicut materiale, & aversio a bono incommutabile est ibi sicut formale. Et hoc contingit ex hoc, quod etiam in actu perfectio virtutis ex ordine ad finem est forma actu. Sicut autem peccatum actuale consistit in deordinatione actus; ita etiam peccatum originale consistit in deordinatione naturæ. Unde oportet, quod ipsæ vires deordinatæ, seu deordinatio virium sint sicut materiale in peccato originali, & ipsa deordinatio a fine sit ibi sicut formale. Illa autem pars, quæ per se nata est conjungi fini et ipsa voluntas, quæ habet ordinem finis omnibus aliis partibus imponere, & tunc destitutio ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturæ, in peccato originali formale est; & hoc est privatio originalis justitiæ. Vires autem appetitus sensibilis sunt natæ recipere ordinem ad finem ab ipsa voluntate, secundum quod sibi subjectæ sunt: & ideo subtractio illius vinculi, quo quodammodo sub potestate voluntatis rectæ detinebatur, materiale in peccato est. Ex hac autem subtractione sequitur, quod unaquæque vis in suum subjectum inordinate tendat, concupiscendo illud: & ideo concupiscentia, qua habiles sumus ad male concupiscendum, peccatum originale dicitur, quasi materiale in peccato originali existens. Est enim considerare materiale, & formale in actibus moralibus, sicut in rebus artificialibus, in quibus materia de toto prædicetur, ut possit dici cultellus est ferrum. Et similiter de peccato prædicari potest illud, quod est materiale in ipso, & per hunc modum peccatum originale concupiscentia dicitur*.

XXXIII. Hac doctrina, quam Angelicus Doctor tradit etiam in aliis citatis locis, explicari possunt omnes auctoritates superius allatæ ex D. Paulo, & Augustino; nimirum, Paulum, & Augustinum concupiscentiam vocare peccatum originale, sumendo peccatum originale non pro formali, nempe deordinatione ab ultimo fine, sed pro materiali, nempe pro inordinata tendentia virium inferiorum in sua objecta; seu pro subtractione vinculi, quo sub potestate voluntatis rectæ detinebantur, quod in peccato originali, quasi materiale est. Quod si hoc contenti essent Protestantes, non esset cum illis contentio. Sic enim dicere possemus, manere in renatis peccatum

tum originale pro materiali nempe habitualem inordinationem virium inferiorum, seu necessitatem sentiendi motus inordinatos concupiscentiæ. Quod quilibet, etiam renatus, & justus, via ordinaria in se experitur, & hoc testabatur Paulus *Rom.* 7. citatus.

XXXIV. Neque hinc inferas, quod si concupiscentia aliquomodo dici potest peccatum originale, nempe pro materiali, quia deordinatio appetitus sensitivi secuta est ex deordinatione voluntatis Adami a fine; eadem ratione dici poterunt peccatum originale, pro materiali nimirum, aliæ deordinationes ex eadem secutæ in corpore, ut infirmitates corporis, necessitas moriendi, & alia.

XXXV. Nam, ut docet S. Doct. in 2. dist. 30. qu. 1. art. 3. citato ad 4. *peccatum contingit in his, quæ ad finem ordinata sunt, secundum quod a suo fine deficiunt; & ideo in partibus animæ in illis præcipue est peccatum hominis, secundum quas homo ordinatur in finem: & quia appetitus est tendens in finem, ideo in appetitu præcipue peccatum consistit. Ad finem autem hominis ordinatur appetitus rationis, qui est voluntas, immediate, appetitus autem sensibilis mediate; inquantum scilicet ordinem finis ex voluntate rationis recipiunt, propter quod dicuntur aliqualiter rationi obaudibiles, ut Phil. dicit in fine 1. Et hic* (c. 18.) *Et ideo defectus ordinis in appetitu voluntatis est formale, & complectivum originalis peccati, quod est privatio rectitudinis voluntatis quæ inerat secundum originalem justitiam; defectus autem ordinis in appetitu inferiori est materialiter in peccato se habens, & hoc est concupiscentia, ut dictum est. Et ideo nullus alius defectus naturæ ex parte rationis, nec ex parte sensibilis partis originale peccatum dicitur, nisi concupiscentia sicut materiale, & privatio originalis justitiæ, sicut formale.* Ita S. Thomas. Ex quo infert citato loco *ad* 5. ignorantiam, ut est defectus cognitionis pure in intellectu manens, non posse dici adhuc materialiter peccatum originale: *Quia ignorantia non per se respicit voluntatem, unde etiam defectus ille, sicut & alii, retinet rationem pœnæ, sed non culpæ: Et si inveniatur ignorantia peccatum originale dici, intelligendum est de ignorantia privante illam scientiam, quæ includitur in originali justitia.* Aliæ autem passiones, ut irascibilis &c. ad concupiscentiam ut principaliorem, in qua includuntur, & quæ vehementius movet, & magis sentitur, reducuntur, ut docet Divus Thomas 1. 2. *quæst.* 82. *art.* 3. laudato *ad* 2.

XXXVI. Hæc de mente S. Thomæ certa sunt. Quod vero inter ejus Discipulos controvertitur, est: in quo sensu intelexerit, concupiscentiam in peccato originali esse tamquam materiale. An scilicet proprie, sicut substantia actus est materiale in peccato actuali; an vero secundum similitudinem ex modo, quo effectus comparari solet ad suam causam, sicut materiale ad formale, vel effectus secundarius ad primarium: utroque enim modo comparatur concupiscentia ad peccatum originale.

XXXVII. Censet Sylvius cum aliis, concupiscentiam dici materiam peccati originalis improprie eo modo, quo effectus comparatur ad suam causam, sicut materiale ad formale, & effectus secundarius ad primarium; non vero proprie, sicut substantia actus est materiale respectu peccati actualis. Et ratio est. Tum quia privatio rectitudinis, seu justitiæ originalis non inhæret ipsi concupiscentiæ, quemadmodum formale peccati actualis inhæret, seu denominat actum, qui se habet tamquam materiale: quod videretur requiri, si concupiscentia compararetur ad peccatum originale in proprio sensu, ut materiale ad formale. Tum quia id, quod proprie est materiale in peccato pro formali, præsupponitur ei tamquam ejus fundamentum; sicut actus præsupponitur malitiæ in peccato actuali: concupiscentia autem non præsupponitur privationi justitiæ originalis, quæ est formale, sed consequitur eam tamquam pœna, vel effectus. Tum quia manente peccato pro materiali non potest tolli deformitas in eo fundata; manente enim actu adulterii non potest tolli formalis deformitas; sed post Baptismum sublatum est peccatum originale in renatis, in quibus tamen manet concupiscentia; ergo &c. Hinc Div. Thom. in 2. dist. 32. quæst. 1. art. 1. ad 3. *Non eodem modo* (inquit) *se habet concupiscentia, & fomes ad originalem maculam, sicut actus peccati ad maculam actualem: concupiscentia enim eisi quodammodo materialiter se habeat, non tamen est causa ejus secundum quid in eodem subjecto invenientur. Sed actus peccati causat actualem maculam: & ideo non potest contingere, quod actus maneat, & macula; vel reatus transeat, sicut in originali manente concupiscentia transit reatus, & macula.* Unde 1. 2. *quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 4. ait: *concupiscentia se habet materialiter, & ex consequenti in peccato originali.*

XXXVIII. Gonet vero cum Salmanticensibus in 1. 2. *disp.* 16. *dub.* 4. §. 3. censet, concupiscentiam juxta Doctrinam D. Thomæ esse vere & proprie materiam originalis peccati, eoque modo, quo in actuali actus exterior se habet ut materia respectu interioris, vel conversio respectu aversionis. Idque putat, se colligere ex Doctrina ejusdem S. Doctoris *q.* 3. *de Malo art.* 7. *in corp.* ubi ait: *Ignorantia, & fomes sunt materialia in peccato originali, sicut & conversio ad bonum commutabile in peccato actuali*: Et q. 4. a. 2. ad 11. *concupiscentia* (inquit) *potest dupliciter considerari. Uno modo secundum quod est in alio: & hoc modo concupiscentia, quæ est in patre, ponitur causa originalis peccati, quod est in filio, & non est de essentia ejus, sed præcedit ipsum. Alio modo potest considerari secundum quod est in eodem: & sic est causa per modum materiæ, quæ est de essentia rei, & præcedit quodam modo per modum materiæ, sicut & corpus præcedit animam in ordine causæ materialis. Dictum est enim supra, quod ex carne, ad quam pertinet concupiscentia, inficitur anima, ad quam pertinet carentia originalis justitiæ.* Quia autem sublata carentia justitiæ originalis per Baptismum manet adhuc caro infecta; ideo manet materiale, non formale peccati originalis, in quo differt a peccato actuali: & insuper concupiscentia est causa materialis peccati originalis potius per modum dispositionis, quam subjecti immediate susceptivi. Quibus responderi potest ad prioris sententiæ fundamenta. Utraque tamen secundum mentem D. Thomæ probabilis est.

DUBIUM III.

An Peccatum originale sit ipsum Adami peccatum moraliter perseverans in Posteris, eisque imputatum?

§. I.

Resolutio quæsiti.

I. ALbertus Pighius, & Ambrosius Catharinus noster peccatum originale nil aliud esse dicunt, quam ipsum Adæ peccatum moraliter perseverans, ac Posteros omnes ex eo descendentes extrinsece denominans: ex quo colligitur, peccatum originale non multiplex, sed unum numero in omnibus esse. Hoc idem sentit Salmeron super *c.* 5. *Epist. ad Rom. disp.* 45. 46. & 47. ubi addit, *hanc sententiam debere esse omnium Catholicorum*. Immerito tamen, ut dicemus. In hanc opinionem eunt Scotistæ, ut legere est apud Frassen *tract.* 3. *disp.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *de Peccato Orig. Concl. ult.* dicentem, peccatum originale Posterorum Adæ est ipsummet Adæ peccatum manens in ipsis moraliter, quatenus omnes in eo tamquam in capite peccaverunt. Idem sentiunt Henno, cæterique Scotistæ, Nihilominus

II. Dico. Peccatum Originale in Posteris Adæ non est ipsumet Adæ peccatum, ut moraliter manens in ipsis. Vasquez in 1. 2. *de pecc. orig. disp.* 132. *c.* 3. oppositam sententiam Pelagiano errori neganti peccatum originale contrahi propagatione, affinem esse putat. Sed quidquid sit de hoc, certum est, eam tamquam veræ fidei parum consonam in Indice expurgatorio jussam fuisse aboleri ex operibus Ambrosii Catharini: verbo *Ambrosius Catharinus*. Et in expurgatorio Hispaniæ edito ab Antonio de Soto Major, verbo Ambros. Catharinus habentur hæc: *Delenda sententia, quam cum Alberto Pighio docet, videlicet non inesse cuique suum peculiare originale peccatum.*

III. Impugnatur ergo primo. Peccatum, quod origine contrahitur, non est unum, ac idem numero in omnibus, sed in singulis ab ea naturam trahentibus cum natura propagatur: atqui si nil aliud esset, quam peccatum Adæ, ut moraliter manens in Posteris, eosque solum extrinsece afficiens, esset unum ac idem numero in omnibus; ergo &c. Maj. continet doctrinam Tridentini *Sess.* 5. *Can.* 3. dicentis: *Peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium.* Quod autem origine unum propagatione transfunditur, & inest unicuique proprium, non potest esse idem numero in omnibus moraliter manens, sed debet in singulis propagari, & multiplicari, sicut in singulis propagatione multiplicatur natura. Unde *Sess.* 6. idem Concilium *cap.* 3. statuit, quod homines propagatione per Adam, dum concipiuntur, *propriam injustitiam contrahunt*. Min. vero probatur. Si enim homines nascerentur injusti sola injustitia Adæ, quæ una omnes injustos denominaret, non esset quilibet injustus injustitia propria, sed omnes injusti essent injustitia communi, nempe injustitia Adæ; quæ una numero existens omnes extrinsece denominaret injustos tamquam omnibus imputata.

IV. Respondet Frassen, peccatum Adæ non solum extrinsece, sed intrinsece parvulos afficere, ipsisque esse proprium, quatenus nempe omnes in Adam peccaverunt tamquam in capite; quod peccatum tamdiu in ipsis permanet, quamdiu Baptismatis lavacro non eluitur: ac proinde physice esse quidem unum numero, sed moraliter multiplex, & propagatione moraliter, & æstimatione multiplicatum, reddens omnes, & singulos Deo exosos, perinde ac si a singulis esset perpetratum.

V. Sed contra primo. Peccatum Adæ, utpote actus immanens, non potuit nisi solum Adam intrinsece afficere: neque, utpote accidens, potuit idem numero de Adam ad posteros transire, eosque intrinsece afficere, nisi ad summum per æstimationem, & imputationem, nihil intrinsecum in ipsis causando.

Porro quod omnes homines in Adam peccaverint, non convincitur, omnes unico Adæ peccato formaliter peccatores constitui; sed cum omnes in eo peccaverint tamquam membra in capite, contraxisse debitum, ut omnes peccato infecti seu peccatores nascerentur, macula quidem ex Adæ peccato causata, & cum carne transfusa, sed cuique propria, & propagatione contracta. Si enim unico peccato Adæ omnes dicerentur peccatores, non diceretur peccatum propagari: sicut si omnes partes aeris dicerentur lucidæ per lucem existentem in Sole, non diceretur, lux per aerem propagari.

Rursus si, ut dicit Frassen, peccatum originis nil aliud est, quam peccatum Adæ moraliter cuique proprium, quomodo veri-

verificabitur, hoc peccatum in Baptismo elui, ac tolli? Certe peccatum Adæ elui, ac tolli nequit; elui ergo, ac tolli, solum erit, peccatum Adæ non amplius baptizato imputari. Hoc autem Concilium Tridentinum damnat *Sess.* 5. *Can.* 5. in eo, qui asserit, in Baptismo non *tolli reatum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari*. Sicut ergo tollitur non solum imputatione, & morali æstimatione, sed revera; ita nec sola imputatione, aut morali æstimatione, sed revera multiplicatur.

VI. Impugnatur secundo. Ita per Adæ inobedientiam, & peccatum constituuntur homines peccatores, sicut per Christi obedientiam, & justitiam constituuntur homines justi: sed homines non constituuntur justi formaliter per justitiam Christi ipsis moraliter imputatam, immo per justitiam cuique propriam, ab ipso tamen ut a capite in membra derivatam; ergo a pari &c. Major probatur ex Divo Paulo Rom. v. 19. & 20. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi*. Minorem vero tamquam dogma Catholicum contra Lutheranos, & Calvinistas statuit Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 7. dicens: unica *formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei: non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; quia videlicet . . . vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes &c. Can.* 10. anathema dicit ei, qui dixerit homines per Christi justitiam formaliter justos esse. Et *Can.* 11. eodem anathemate ferit dicentem, homines justificari *sola imputatione justitiæ Christi . . . . exclusa gratia, & charitate . . . quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque inhæreat*. Quemadmodum ergo his Pauli verbis, *per unius obedientiam justi constituuntur multi*, concludi non potest, hominem esse justum per ipsam actualem Christi obedientiam, sed tantum ipsam actualem Christi obedientiam esse causam meritoriam nostræ justificationis, ita nec ex hoc loquendi modo, *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi*, concludi legitime potest, homines constitui formaliter peccatores, & reos per ipsam actualem Adæ inobedientiam: sed tantum, quod ea actualis Adæ inobedientia sit causa demeritoria, cur Adæ Posteri constituantur peccatores. Et hoc indicavit Paulus citato loco, ubi postquam *v.* 11. dixerat, Christum esse, *per quem nunc reconciliationem accepimus*, subjungit v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors*. Ubi ly *per* in utroque loco designat causam meritoriam, nempe Christum, nostræ reconciliationis, & Adam causam demeritoriam nostri peccati, quemadmodum causam demeritoriam mortis corporalis.

VII. Scio, responderi a Frassen, Paulum noluisse instituere paritatem in omnibus; alias sicut sine ullo actu proprio per inobedientiam Adæ maculamur, ita sine ullo actu proprio per Christi obedientiam sanctificaremur: sed voluit solum instituere paritatem in genere causæ, non in specie, & modo causandi. Nam de inobedientia loquitur in præterito, *peccatores constituti sunt multi*; de obedientia vero loquitur in futuro, *constituentur multi*. Quid autem indicare voluit, nisi quod posita inobedientia, statim positum fuit quidquid requirebatur, ut homines constituerentur peccatores, *in quo omnes peccaverunt*: at posita Christi obedientia nondum positum fuit quidquid requiritur, ut homines sint formaliter justi.

VIII. Sed contra primo. Saltem in parvulis tenet omnimoda paritas: nam sicut qui in Adamo nascitur, sine ullo proprio actu nascitur peccator: ita parvulus, qui in Christo renascitur, sine ullo proprio actu renascitur justus, & tamen non renascitur formaliter justus Christi obedientia; ergo similiter &c.

Secundo quod sine ullo actu proprio homo constitutus sit peccator, proprio autem actu cooperetur homo ad sui justificationem, non refert, hominem peccato Adami constitui formaliter peccatorem; sed quod, cum omnes Adamo peccante in eo peccaverint, ex Adami peccato, ut ex causa, peccatum in omnes propagetur, in quos ex eo propagatur natura; & sicut non dicuntur homines ex humanitate Adami, sed humanitate ex ipso derivata: ita nec dicuntur peccatores formaliter ex Adami peccato per propagationem una cum natura ex ipso unoquoque derivato.

Quod vero de inobedientia loquatur in præterito, de obedientia autem in futuro, non arguit, posita inobedientia Adæ, haberi statim in omnibus, & singulis formale constitutivum peccatoris; non autem posita obedientia Christi, haberi constitutivum justi: sed ut exponit S. Aug. lib. 2. Oper. Imperf. contra Julianum cap. 215. Apostolus *maluit verbum futuri temporis ponere, & constituentur dicere, non constituti sunt; quoniam justitia illa justitia, qua sine ullo peccato erit, in futuri sæculi æternitate victuri sunt. Cum autem de peccatoribus non dixit*: Constituentur, *sed* constituti sunt, *sæculum hoc, quod præterit, ubi jam vitiata est humana natura, verbo temporis præteriti expressit*.

IX. Improbatur tertio. Peccatum originale in Posteris est effectus peccati Adæ: ergo peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum, siquidem non potest idem esse causa sui ipsius. Ant. prob. 1. ex D. August *leg.* 2. *de Nupt. & concup. cap.* 26. ubi ait: *Non sunt nuptiæ causa peccati, quod trahitur a nascente, & expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati*. —— Nec dicas, ex Augustini verbis non sequi, peccatum Adæ realiter, & quasi physice diversum a peccato originali Posterorum, sed solum moraliter, quatenus peccatum Adæ, quamvis realiter sit idem, ut tamen est peccatum Adæ, est moraliter divisum a se, ut est moraliter peccatum Posterorum; & sic quatenus est moraliter peccatum Adæ, potest esse causa peccati originalis, ut proprium est singulorum. Non inquam —— Nam Sanctus Augustinus eo modo dicit, peccatum Adæ esse causam peccati originalis, quo negat, causam ejusdem esse nuptias; sed negat, nuptias esse causam veram, & realem peccati originalis; ergo veram causam asserit esse peccatum Adami.

Secundo prob. ant. Hæc propositio causalis est vera; Ideo nascimur originaliter peccatores, quia peccavit Adam; ergo peccatum Adæ est causa vera peccati originalis.

§. II.

Solvuntur Scotistarum rationes.

X. PRimo objicit Frassen illud Rom. 5. vers. 12. *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Et vers. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Unde Tridentinum *Sess.* 5. *Can.* 3. relatis præfatis Pauli verbis *Si quis* (inquit) *hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium &c.*

XI. Respondetur ex dictis, Apostolum nobis potius esse propitium. Ly enim *per* non designat causam formalem, sed demeritoriam: idest unus homo peccans causa fuit, ut peccatum propagaretur, & sic intraret in Mundum, & per peccatum mors in omnes pertransiret. Sicut ergo peccatum non fuit causa formalis, sed demeritoria mortis: ita unus homo peccans peccato suo demeruit, ut omnes, qui in eo originaliter peccaverunt, nascerentur peccato infecti: quo fit, ut peccatum primi Parentis sit quidem causa peccati originalis, & cur propagetur peccatum originale in Posteros, non tamen sit ipsum originale peccatum. Ad alium textum Pauli jam dictum est, quod sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi; ita (ut ait ibi Paulus) per Christi obedientiam justi constituentur multi: sed Christi obedientia non est formalis justitia nostra; ergo nec Adæ inobedientia est formale nostrum peccatum, sed causa nostri peccati. Neque Adversarium juvat Tridentinum. Nam fatemur & nos cum eo, peccatum esse origine unum; sed cum eodem etiam dicimus, hoc peccatum originale unum propagatione transfundi, & fieri cuique proprium, cui natura communicatur: quod autem propagatione cum natura transfunditur, & sic cuique proprium, debet in unoquoque cum natura multiplicari. *Sicut* enim *per generationem humana natura trahitur, ita etiam per generationem traducitur defectus humanæ naturæ, qui est consecutus ex peccato primi Parentis*, ut ait D. Thom. *in* 2. 5. *ad Rom. lect.* 3.

XII. Secundo objicit Patres, Augustinum passim dicentem, peccatum originale unicum esse omnium hominum. Sic *lib.* 4. *contra duas Epist. Pelag. c.* 4. exponens laudata verba, *in quo omnes peccaverunt*, ait: *Aut enim in illo homine peccaverunt omnes, & ideo dictum est, quoniam quando ille peccaverit, in illo erant omnes. Aut in illo peccato peccaverunt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascentes trahuri erant omnes*. Idem repetit *l.* 1. *de Peccat. merit. c.* 10. dicens: *Alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt*. Videri potest ibi *Lib.* 3. *c.* 7. Augustino consentiunt alii Patres, quos Frassen adducit.

XIII. Respondetur, Augustinum, & Patres velle quidem in Adam, seu in peccato Adæ omnes peccasse, & omnes illum hominem fuisse originaliter, & causaliter; quia omnes ex illo peccatum proprium traxerunt: non tamen formaliter, sic ut peccato illo unice peccatores dicantur. Quod Augustinus ipse citato *lib.* 3. *de Peccat. merit. c.* 7. explicavit dicens: *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur alterna, quia ipsi nondum agebant vitam propriam, sed quidquid erat in futura propagine, vita illius hominis continebat*. Et clarius citato *lib.* 1. *de Peccat. merit. c.* 10. dicit, quod omnes ille unus homo fuerunt, quemadmodum qui justificati sunt, sunt unum in Christo *propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæres Domino, unus spiritus est*. Sicut ergo unum in Christo sunt, non mere ejus justitia, & merito justis imputato; ita nec unum in Adam, ejusque peccato sunt mera imputatione, sed contractione maculæ ab ipso in singulos una cum natura propagata.

Audiendus est Anselmus l. de Conceptu Virginali, & origin. Pecc. c. 23. alias 22. *Negari nequit, infantes in Adam fuisse, cum peccavit: sed in illo causaliter, sive materialiter velut in semine fuerunt*. Et *c.* 24. *alias* 23. dicit, peccatum originale in omnibus æquale esse, *sicut peccatum Adæ, quod est causa, cur nascantur in illo*.

XIV. Tertio objicit. Meritum Christi imputatur parvulis, & ratione ipsius merentur vitam æternam moraliter; ergo peccatum Adami actuale etiam potest imputari parvulis, ac dici eorum demeritum.